



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Ad Clementem X. P. O. M. Octogesimo aetatis anno, paucis ante Clementis IX. Pontif. mortem diebus, Cardinalem, ac proximis inde Comitibus Vaticanis summum Pontificem renuntiatum, An. M. DC. LXX. III. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

A D

CLEMENTEM X. P. O. M.

*Octogesimo atatis anno, paucis ante CLEMEN-  
TIS IX. Pontif. mortem diebus, Cardinalem,  
ac proximis inde Comitibus Vaticanis summum  
Pontificem renuntiatum, An. M. DC. LXX.  
III. Cal. Maii.*

E U C H A R I S T I C O N.

*Cum Gulielmum Lib. Baronem de Furstenberg, fratrem, Pre-  
positum Monasteriensem, Chorepiscopum Trevirensis, Ca-  
nonicum Salisburgensem & Paderbornensem, exemplo ALE-  
XANDRI VII. & CLEMENTIS IX. PP. intimum suum  
cubicularium ultrò renuntiaffet.*

CLEMENS, optime Romuli nepotum,  
Princeps & patriæ parens, & orbis,  
Quando muneribus tuis rependam  
Grates, quas ego debeo perennes  
In me tot meritis tuis, meisque  
Mecum debet, & usque debiturum  
Fratres se meritis tuis fatetur?  
Sed dignas prohibet referre grates  
Ingens copia munerum tuorum.  
Ergò quæ pietas amorque dicat,  
Et blando recipit benigna vultu  
Majestas tua, pro tuâ salute,  
Nec non imperio tuo precantes,

Votis



Votis nec timus auspicata vota ;  
 Ut Te nemo diutiùs Quiritum ,  
 Doctrinâ , ingenioque , moribusque  
 Dignis murice , debuit mereri  
 Serum Purpurei decus Senatûs ,  
 Et nemo citiùsque , digniùsque est  
 Summis Orbis honoribus potitus ;  
 Sic Te nemo diutiùs Quiritum ,  
 Summis Orbis honoribus fruatur.

A D

MATTHIAM NALDUM,

ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX.

MEDICUM INTIMUM,

*Aphorismos Hippocratis notis illustratos, Flavio  
 Chisio S. R. E. Card. eminentissimo  
 dedicantem.*

P Hœbi sacrarum præsidis Camœnarum  
 Artisque , morbos quæ domare cessantes  
 Potens medelis , & salubribus succis ,  
 Secunda profert sæpe fila Parcarum ,  
 Decus perenne , maximoque ALEXANDRO  
 Dignus Machaon , quid moraris in dias  
 Emittere auras luminis , senis Coi  
 Divina , Nalde , scita ? quæ dies longa ,  
 Et imperita turba plurimis mendis  
 Opplerat , hætenusque noverant pauci :  
 At mox , favente Delio , tuis curis

R

De-